

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level Two Medieval Latin Examination

9 September 2016

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. Peter Comestor narrates the history of Alexandra, Queen of the Jews, and her sons

De regno Alexandrae, et de filiis ejus, Hircano et Aristobulo. Quae dum regnaret, Hircanum primogenitum pontificem declaravit, eum futurum regem indicans, quia modestus erat; minorem vero Aristobulum, eo quod ferventis animi videretur, privatim vivere coegit. Eo tempore orta est in Judaea haeresis Pharisaeorum, de quibus post cum sectis aliis explicabitur, quorum consilio utebatur in omnibus Alexandra, ita ut eorum consilio optimates quosque Judaeorum, aut exsilio damnaret, aut interficeret. Denique Diogenem, qui Alexandro amicissimus fuerat, occidit. Alienigenarum quidem duos sibi conflaverat exercitus, ut in Judaeos tutius debaccharet. Proinde multi ad Aristobulum confugerant, ut ejus patrocinio tuerentur. Nono autem regni sui anno aegrotavit Alexandra, et Aristobulus, collecta plurimorum manu, post matrem se regnaturum declaravit. Ob hoc miserata quaerelas Hircani mater, conjugem Aristobuli cum filiis in custodia recludens, obsides accepit, ne regnum sibi Aristobulus usurparet.

2. Conrad of Hirsau tries to sort out which Cato he is talking about

Magister. Romae Catones perplurimi fuisse probantur, sed diversis temporibus, ut rigidus Cato, Censorius Cato, disertissimus iuxta Ieronimum Cato, qui iam senex literas graecas discere nec erubuit nec desperavit. Sed Cato iste, de quo nobis quaestio est, a quibusdam putatur de quo Tullius mentionem facere videtur in libro de amicitia dicens: ‘tum est Cato locutus quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior’, et superius: ‘Catonem, inquit, induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona quae de illa aetate loqueretur, quam eius qui et diutissime fuisset senex et in ipsa senectute praeter ceteris floruisset’. Catonem etiam Uticensem in libris legisti gentilium in Affrica, ubi et mortuus est cum fugeret Iulium Caesarem per arenariam solitudinem, et Catonem ut dictum est Censorium, sed iste de his tribus non erat.

Discipulus. Quid ergo? quem vel quo tempore Catonem istum fuisse tu autumas?

3. Lothar III confirms the liberty of the abbey of St Blaise from the authority of the bishop of Basel (Strassburg, 1126)

Lotharius divina favente clemencia Romanorum rex. Quoniam principem ac defensorem ecclesiarum nos constituit dominus, ne gratiae eius videamur esse ingrati, servitium eius augmentare, bene et opportune instituta confirmare, iuste inventa conservare et omni remota contradictione pacem, concordiam et tranquillitatem nos decet restaurare. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter Bertholdus venerabilis abbas Sancti Blasii eiusque confratres de multiplici et miserabili iniuria et oppressione, quam a Bertholdo Basiliensi episcopo et quodam Adelgozo, qui eiusdem aecclisiae advocatiam sibi vendicabat, iamiam diu sustinuerant, persepe conquesti praesentiam nostram Argentine adierunt et causam de controversia eorum et Basiliensium, a predecessore nostro bonae memoriae Haenrico imperatore multis principibus assentientibus iudiciali ordine discussam, a nobis quoque confirmari humiliter deprecati sunt. Quorum iustae petitioni . . . libenti animo assensum prebuimus, regali nostra auctoritate confirmantes eiusdem loci libertatem ab Ottone imperatore traditam ac deinde a Heinrico rege, tandem a Heinrico imperatore filio ipsius Argentine renovatam et modis omnibus a iure Basiliensis aecclisiae alienatam.

4. A hymn in honour of the cross (Venantius Fortunatus)

Crux benedicta nitet, dominus qua carne pependit

atque cruore suo vulnera nostra lavat,

mitis amore pio pro nobis victima factus

traxit ab ore lupi qua sacer agnus oves,

transfixis palmis ubi mundum a clade redemit

atque suo clausit funere mortis iter;

hic manus illa fuit clavis confixa cruentis,

quae eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Fertilitate potens, o dulce et nobile lignum,

quando tuis ramis tam nova poma geris!

Cuius odore novo defuncta cadavera surgunt

et redeunt vitae qui caruere diem.

Nullum uret aestus sub frondibus arboris huius,

luna nec in noctem sol neque meridie.

Tu plantata micas, secus est ubi cursus aquarum,

spargis et ornatas flore recente comas.

Appensa est vitis inter tua brachia, de qua

dulcia sanguineo vina rubore fluunt.